

MANSI, JOANNES DOMINICUS:

**SACRORUM CONCILIORUM NOVA
ET AMPLISSIMA COLLECTIO**

**CONCILIUM OECUMENICUM GENERALE
LATERANENSE IV SUB ROMANO PONTIFICE
PAPA INNOCENTIO III A.D. 1215**

SERMO I

INNOCENTII PAPAE III

IN CONCILIO GENERALI LATERANENSI HABITUS

D*esiderio desideravi hoc pascha manducare
vobiscum... (Luc. 22). Quia mihi vivere Christus est...*

Vas interitus, quod tenere debetis in manibus vestris ad interimendum scelestos, est pontificalis auctoritas, quam exercere debetis in opere ad perimendum iniquos, exemplo Psalmistae (Psal. 100) dicentis: *In matutino interficiebam omnes peccatores terrae, ut disperdam de civitate Domini omnes operantes iniquitatem.* De his vasis alibi dicitur (Psal. 7, 13-14): *Tetendit arcum suum, & paravit illum, & in ipso paravit vasa mortis: sagittas suas ardentibus effecit.* Vobis ergo praecipitur: **Transite per mediam civitatem, sequentes eum, summum videlicet sacerdotem, quasi ducem, principem & magistrum, ut percutiatis interdicens & suspendendo, excommunicando & deponendo,** prout culpa qualitas postulaverit, omnem super quem non inveneritis Thau signatum ab ipso qui claudit & nemo aperit, aperit & nemo claudit. Signatis enim nocendum non est, iuxta quod alibi dicitur (Apoc. 17): *Nolite nocere terrae, neque mari, neque arboribus, quoadusque signemus servos Dei*

nostrum in frontibus eorum. De ceteris autem dicitur (Ezech. 9): Nemini parcat oculus vester, ut non sit in vobis personarum acceptio, recolentibus illud quod Moyses legitur dixisse Levitis (Exod. 32): Si quis est Domini, iungantur mihi. Ponat vir gladium super femur suum. Ite, & redite de porta usque ad portam per medium castrorum, & occidat unusquisque fratrem, & amicuni & proximum suum. Feceruntque filii Levi iuxta sermonem Moysi. Et vos similiter faciatis. Porro sic percutite, ut sanetis: sic occidite, ut vivificetis, eius exemplo qui ait (Deut. 32): Ego occidam & ego vivere faciam: percutiam, & ego sanabo. (Ezech. 9) Et a sanctuario meo, inquit, incipite. Tempus enim est, sicut beatus Apostolus ait (1 Pet. 4): ut iudicium incipiat a domo Domini. Nam omnis in populo corruptela principaliter procedit a clero: quia si sacerdos, qui est unctus, peccaverit, facit delinquere populum: quippe dum laici vident turpiter & enormiter excedentes, & ipsi eorum exemplo ad iniquitatem & scelera prolabantur. Cumque reprehenduntur ab aliquo, protinus se excusant, dicentes: Non potest filius facere nisi quod viderit patrem facientem: & sufficit discipulo, si sit sicut magister eius. Impletum est illud propheticum (Osee 4): Erit sicut populus sic sacerdos: quinimo (Isa. 23), erubescite Sidon, ait mare. Hinc etiam mala provenerunt in populo Christiano. Perit fides, religio deformatur, libertas confunditur, iustitia conculcantur, haeretici pullulant, insolescunt schismatici, perfidi saeviunt, praevalent Agareni.

S E R M O II

INNOCENTII PAPAE III

IN CONCILIO GENERALI LATERANENSI HABITUS

Psal. 67: Si dormitis inter medios clericos, ...

Discretus ergo sacerdos contra rebelles & obstinatos severitatem exerceat, erga humiles & poenitentes exhibeat pietatem.

CANONES MAGNI CONCILII OECUMENICI GENERALI LATERANENSI IV

CAPITULUM III

- **Excommunicamus & anathematizamus omnem haeresim extollentem se adversus hanc sanctam, orthodoxam, catholicam fidem quam superius exposuimus (e.g. haereses contra transubstantiationem panis & vini in Eucharistiam); condemnantes universos haereticos, quibuscumque nominibus censeantur; facies quidem habentes diversas, sed caudas adinvicem colligatas, quia de varietate conveniunt in idipsum.**
- **Damnati (de haeresi) vero saecularibus potestatibus praesentibus, aut eorum baillivis, relinquuntur animadversione debita puniendi, clericis prius a suis ordinibus degradatis, ita quod bona huiusmodi damnatorum ... applicetur ecclesiis a quibus stipendia perceperunt.**
- **Credentes vero, praeterea receptores, defensores & fautores haereticorum excommunicationi decernimus subiacere, firmiter statuentes ut postquam quis talium fuerit excommunicatione notatus, si satisfacere contempserit infra annum, ex tunc ipso iure sit factus i n f a m i s ... Si vero clericus fuerit, ab omni officio & beneficio deponatur, ut in quo maior est culpa gravior exerceatur vindicta.**
- **Si quis enim episcopus super expurgando de sua**

dioecesi haereticae pravitatis fermento negligens fuerit vel remissus, cum id certis indiciis apparuerit, & ab episcopali officio deponatur (a Summo Romano Pontifice), & in locum ipsius alter substituatur idoneus, qui velit & possit haeticam confundere pravitatem.